

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

78. Aqua fortis cum spiritu vini mixta Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

78. Aqua fortis cum spiritu vini
mixta Lullii,

In Elucidat. Testam. p. 147. Artis aurifer.

R. **V**itrioli partem unam, Nitri partem unam, Aluminis partem quartam, omnia misceas bene insimul, & pone ad destillandum lento igne, donec humiditas recedat, tunc da fortiorem, & ultimò fortissimum, donec albificetur alembicus, tunc enim est præparata aqua fortis. Postea **R.** Aquæ prædictæ libram unam, & pone in cucurbita magna, & funde desuper uncias quatuor aquæ vitæ (*ardentis*) quatuor vicibus destillatæ, & pone desuper alembicum cum suo receptorio, tunc faciet magnos strepitus bulliendo cum maximo impetu sine igne. Quapropter commixtio aquarum debet fieri successive. Tunc pone in aliam cucurbitam minorem & pone desuper alembicum cum suo receptorio, & in balneo destilla Aquam, ut solummodo materia remaneat in fundo vasis in forma Glaciei, reasfunde Aquam, & destilla iterum, & hoc reitera novem vicibus, tunc manebit in fundo oleum vel materia ut glacies.

Hoc Lullii menstruum clarum est, quapropter nostra elucidatione non indiget. Describitur autem ab Anonymo quodam apud Rhenanum hoc modo.

79. Aqua fortis cum spiritu vini mixta Anonymi cujusdam,

*Libro de Principiis naturæ & Arte alchym. pag. 28.
Syntagm. Harm. Joh. Rhenani.*

R. **N**itri & Aluminis ana, & destilla phlegma donec spiritus fortes & dissolventes ascendant, & his præpone recentem & mundam aquam destillatam, & in eam spiritus igne